



Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

[1.] De corporali disciplina, & quid sit mortificatio corporalis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

CATECHISMI DN.
CONRADICLINGII, LL
BER QVARTVS. 90

CAPVT PRIMVM.

ARGVMENTA.

1. *De corporali disciplina & quid sit mortificatio corporalis.*
2. *Quantum differat à iustitia spiritus.*
3. *Quam grauiter peccant contemptores huiusmodi discipline.*



RIMÒ, mortificatio est extirpatio vitiorum in corpore nostro per contrarias virtutes & actus ppter Deū, sicuti docet Apostolus ad Colossi. Mortificate mēbra vestra, qua sunt super terram, fornicationē, immunitatiā, auaritiam, iram, blasphemiam, turpē sermōnem, mendacium &c. Hęc enim vitia dicuntur membra corporis, scilicet peccati, & illa extirpare debemus per castitatem, paupertatē vel inediam, benignitatem, veritatē, per condonationē &c. hęc enim expellunt vitia atq; mortificant, & sunt membra novi hominis, id est, Euangelici. Sic ad Romanos 6. admonet exhibere nunc membra nostra iustitiæ, & capite 12. corpora offerre in hostiam viuentē. Sic iubet Christus, Luc 21. cauere, ne corda nostra grauentur etiā, & Matth 17. Hoc genus dæmoniorum non ceditur, nisi iejunio & oratione. & Romanorum 13. Non in comedationibus & ebrietatibus, prioris Pet. quinto : Sobrij estote & vigilate. 1. Corinthiorum nono:

9. Castigo corpus meum &c. His & similibus autho-
ritatibus præcipitur illa disciplina corporis atq; mor-
tificatio, nempe ut moderatè bibatur & edatur, vt ie-
junemus, laboremus, studeamus rebus sacris, verbū
Dei perscrutemur, oremus, vigilemus, fugiamus oc-
casione peccandi, Ecclesiam Dei frequētemus &c.
Summa, vt voluptatem nobis subtrahamus, quantū
fieri potest ore, habitu, & opere. Sic Ioan. Baptista fuit
indutus ueste de pilis camelorū, & cibus illi fuit mel
atq; potus simplex. Sic Daniel cum socijs suis, sic filij
Rechab iere 35. Omnia illa siebant, vt peccatum car-
nis domaretur. Est quoq; quædam mortificatio, quæ
à Deo infligitur, vt est infirmitas vel ægritudo corpo-
ris, mors, tribulatio, angustiæ: & illa non sunt in po-
testate nostra, & illa tollerare est necessè. Sunt enim
præcipiūs cultus sanctorum, quem Deus exigit, & si-
bi placet, sicut Dauid dicit Psal. 50. Sacrificium Deo
Spiritus contribulatus &c. ibi exigitur nostra obediē-
tia, quæ dicit, Domine, fiat voluntas tua. Et quanuis
hæc mortificatio non est in nostra potestate, mitiga-
ri tamen potest nostris precibus & pœnitentia, vt pa-
tet in Dauide 2. Reg. vlti, cum plaga pestilentie, cum
Ezechia qui ægrotauit ad mortem, cui adiiciūtur an-
ni 15. Est quoq; aliud genus mortificationis volunta-
rīe assumptum, necessarium tamen vt fiat ad coercē-
dam carnem, ne saturitas nos obruat, & reddat secu-
ros & ociosos, ac indulgeat affectibus carnis: & hanc
disciplinam vbiq; docet scriptura, vt dictum est, in e-
um finem, vt caro dometur, non vt hic remissio pec-
catorum & salus æterna, quæ ex Christi merito ha-
bemus, queratur: et si hoc etiam verum sit, quod hæc
habeant sua præmia.

Secundò, hac differentia oportet notare, qd corpo-
ralis illa disciplina & mortificatio non sunt prima &
vera iustitia, quæ ante Deum valet, licet etiam exiga-
tur: nam ante Deum est iustitia potissima vera fides,

II 8 dilectio,